CARMINA ET INSCRIPTIONES

CARMINA

ET

INSCRIPTIONES

CAJETANI BARBATI



METROPOLITANAE ECCLESIAE NEAPOLITANAE CANONICI

REGIAE HERCULANENSIS ACADEMIAE SOCII



NEAPOLI

EX VANNI TYPOGRAPHEO

MDCCCLV.

VIRO CLARISSIMO

NICOLAO NICOLINI

SUI AMANTISSIMO

CAJETANUS BARBATI

S. P. D.

Cogitanti mihi carminum nescio quod specimen typis mandare, quae pro re nata a me latine conscripta fuerunt, Tu, Nicolae praeclarissime, dignissimus occurrebas, cujus nomini, qualiacunque ea demum sint, perlibenter inscriberem. Neque id agenti incesserat formido, quod tam parvus tanto Viro me Tibi sistere auderem: probe enim noram, quam boni aequique feceris ceteras ingenioli mei lucubrationes. Quae tua perspecta in me animi voluntas in causa fuit, cur certa mihi spes affulserit, Te volentem ac lubentem, hanc, quod numquam alias, grati animi significationem excepturum. Non ea autem mente id agendum aggrediebar, ut patronum mihi nanciscerer; verum ut gratias Tibi ceteroqui debitas referrem pro innumeris a te collatis in me meritis, cui jamdiu sum devinctissimus, immortales certe habiturus. Itaque illa stat animo sententia, ut

omnes ad unum, quorum in manus carmina pervenerint mea, adprime dignoscant, me, si non pauci, nec infimae notae homines nonnullam de me conceptam habeant existimationem, suaque me complectantur benevolentia, id omne Tibi uni acceptum jure meritoque referre, qui nullam praeterire occasionem passus es, quin sedulitatem meam, qua humaniores litteras prosequerer, laudibus in coelum extolleres, et nomen meum ipsis commendares. Quamobrem sorte mihi obtigit, ut nulla meritorum commendatione, at sola dignatione tua laudarer a laudato Viro. *Vive, ac vale, Vir praestantissime, teque Deus Opt. Max. litterarum atque amicorum bono sospitet ac tutetur quam diutissime.*

Dabam Neapoli pridie Kal. Augusti.

CARMINA

IN OBITU

JOSEPHI CAPOCASALE

ODE

Qualis minaci concita turbine,
Rectoris exors, puppis inhospita
Per saxa, per fluctus vagatur,
Sidera nec trepidis refulgent

Amica nautis: immiserabilis
Humana sic gens acta tumultibus
Mentis per aestum fluctuabat,
Exitium subitura praeceps.

Quae stella cursum fallere nescia,
Portumque tutum vasta per aequora
Furentibus monstrabit undis,
Nocte ratem eripiens profunda?

Magnos Sophorum conspicimus duces
Formidolosos diruere objices,
Victas et errorum catervas
Terga fugae trepidas dedisse.

Miramur altis horribiles jugis
Cautes abactas e Rhodopeiis,
Quercus et auritas, et ornos
In dociles coiisse coetus.

Sensere gentes, credite, posteri,
Quid dia possit vis sapientiae,
Sensere quid possit Sophorum
Consilium in populos feroces.

Tum ducta primis molibus arduis
Ad astra surgunt oppida, et aureo
Conlustrat horrentes nitore
Phoebus agros, Cereremque reddunt.

Inusitatae monstra proterviae
Non auspicatis ausibus obruta
Prostrasse diceris reperta
Per nova tu, tenebris fugatis,

Josephe: cartis alma perennibus
Commissa virtus vivit in ultimas
Dilapsa terras, posteraque
Laude recens Acheronta vitat.

Doctrina si vim promovet insitam,
Croesusne avitis regibus editus
Quid interest, an pauper Irus?
Perpete parta labore virtus

Longe refulget. Te duce amabilis
Siren supernis crevit honoribus,
Gentisque majestas ubique
Enituit, veterumque norma.

Josephe, salve mercurialium
Princeps virorum: sat tibi credita
Sensit juventus, quid valeret
Judicium sapientiorum.

Per te severus cum pueris senex,
Lateque castis cum nuribus canunt
Jus, fasque socrus, seu reducit,
Seu fugiens rapit hora Phoebum.

Regum timendorum in proprios greges
Quid jura possint, quaeque ab origine
Mortalium descripta corde
Jura datum tibi ferre in auras.

Nutrita faustis sub penetralibus
Pubes adivit te sapientiae
Ductore praeruptos recessus,
Insolitos didicitque nisus.

Tardum sereni sedibus aetheris
Te sidus auctum luget amabilem
Siren alumnum: eheu fugaci
Gaudia praeteritura gressu!

Hic admovebat viribus ingeni
Calcar, jacentes laudis aculeo
Urgebat, ardentes juventae
Excutiens animis favillas.

Quae haerebat alto gratia pectori,
Et dia virtus, quae sapientia!
Mollire quam solers protervos
Eloquium, placidique mores!

Prudentiorum quem columen patrum
Aequum, piumque, et justitiae comes
Candor coronat, quem fidelis
Propositi studiosa virtus.

Hac itur illuc stant ubi gloriae,
Famae et perennis templa nitentia:
Mortalis et coelo receptus
Ordinibus superum renidet.

IN OBITU

NICOLAI CIAMPITTI

ODE

Quae vox virorum format agrestium
Facunda pectus, quae fera jurgia
    Permulcet, horrendumque cultum
        Auspiciis abigit secundis?

Alterne blandis illacrymabilem
Delinit Orpheus cantibus Aeacum?
    An rursus Amphion disertis
        Carminibus, cytharaque pollens

Tardavit amnes, saxaque montibus
Deduxit altis imperiosior,
    Civesque, Thebanasque turres
        Constituit, superumque cultum?

Tum cessit horror priscus, et impia
Stipata diris bella furoribus,
    Tunc ira, quae procudit enses,
        Et miseras inimicat urbes;

Fratrisque frater sanguine inhorruit
Foedare dextram, nec rabiem, et minas
Pubes, et incestos amores
De teneris agitavit annis.

Auditis? O quae gestit amabilis
In orbe imago? Gentibus abditis
Inter latebrosos recessus
Exoritur, radiante Phoebo,

Lux clara Olympi: non superabiles
Victor timendos subruit objices,
Utcumque bacchantur tumultu
Eumenides, geminantque pugnas.

Non si supernas Thracius occupat
Orator arces, astraque vertice
Contingit Amphion, benigna
Musa tuos patitur labores

Obliviones carpere lividas,
Dilecte terris, et superis senex
Xampitte: nostrae Tu fereris
Grande decus, columenque gentis.

At nunc ademptum funere concitus
Sebethus urget flebilibus modis,
Et ripa responsat camoenis
Pulsa tuis, resonatque nomen,

Dum subter imo gurgite pectora
Planxere palmis Naiadum chori,
Musaeque nigrantes dederunt
Composito cineri cupressos.

Salve, o vel ipso blandior Orpheo,
Alter Latinae Tu Fidicen lyrae,
Canis quod Aurorae, quod Austri
Regna legant, roseusque Vesper.

Tibi ora Pitho finxit, et aurea
Liquente succo nectaris imbuit,
Musaeque securum pericli
Pindaricos docuere nisus.

Seu Tu virorum non humili canes
Laudes camoena, gestaque fortia,
Genusque, virtutesque in aevum
Tollis humo, superisque misces,

Seu Tu revolvis sole carentia,
Situque foedo mersa volumina
Interpres, et prodis sub auras
Quae veterum monumenta rerum

Adhuc supersunt, mercibus Indicis,
Aut quas arenas vortice grandior
Indusque, Pactolusque volvit
Aurifluus, pretiosiora.

Doctus canendo ducere montibus
Cautes, et alveos flectere fluminum,
Videris, auritasque quercus
In dociles retulisse cives.

O quis Latinae fons opulentiae
Exuberanti vividus impetu
Tumescit, et lymphata secum
Corda ruens, animosque versat!

Videre magnos jam videor viros
Vulgo remixtos dulcisonis melos
Haurire labris, dum profundo
Ore tonas, populosque mulces.

Hac arte Siren, Te duce, et auspice,
Innixa summis crevit honoribus,
Laudemque, et optatum jacenti
Imperio decus arrogavit.

IN OBITU

CAROLI ROSINI

EPISCOPI PUTEOLANAE DIOECESIS

ECLOGA

Immortale decus pastorum ante omnia curae
Daphnidi erat Corydon, Corydon sibi sola voluptas,
Deliciae, columenque gregis. Sed morte peremptum
Sensit ubi Daphnis, veniens qua viscera montis
Turbine sulphureo nubem, et candente favilla
Fumantem late agglomerant liquefacta sub auras,
Sorde comas, pallore genas, et lumina fletu
Obrutus in querulos flexit suspiria cantus.

Ite Dicarchaeae, Corydonis cura, capellae:
Quaerite per sylvas vestrum, saltusque magistrum.
Hoc erat, infelix, quod cernere saepe solebam
Ire pecus vacuos, nullo custode, per agros,
Non ausum libare amnes, non graminis herbam,

Et gemere impastos plena ad praesepia tauros.
Hoc erat: ah quantum mentem mortalia tangunt!
Signa dabant, memini, ni me praesagia fallunt,
Complentes in nocte nemus balatibus agni,
Obscoenaeque canes, importunaeque volucres.
Hoc erat, arboribus virides pallescere frondes,
Languere in campis fruges, in montibus herbas,
Et quamquam assiduo nostrum durata labori
Dextra foret, taurique diu jam vomere fessi,
Foecundas squalere gravi rubigine glebas.
Heu ubi nunc ille est? quanam regione vagatur,
Quem morum integritas, et nescia fallere vita
Dilectum superisque dabant, oviumque magistris?

Ite Dicarchaeae, sua quondam cura, capellae:
Quaerite dilectum informes Corydona per agros.
Ergo nusquam ille est, pecori qui gnavus alendo
Nec curis parcens ad pascua laeta vagantes
Compellabat oves, viridique clebat hibisco,
Et distenta domum referebant lacte capellae
Ubera, nec laetum lupus excipiebat ovile
Insidiis: fundebat humus mitissima gazas.
Inde procul fraudes, et fallax herba veneni,
Et procul insomnes curae, exiguoque beatae
Carpebant auras animae, Corydone magistro,
Coelicolaeque dabant sata laeta, boumque labores.

Ite Dicarchaeae, sua quondam cura, capellae:
Quaerite dilectum informes Corydona per agros.
Hic numquam vestris se immittere fontibus apros,
Et pecudes graveolentis harae, foetasve bidentes

Laedere lascivi pecoris contagia passus
Vix hyemem pingui vincebat vellere caprae,
Et crudus pero vestigia tuta regebat.

Ite Dicarchaeae, sua quondam cura, capellae:
Quaerite dilectum informes Corydona per agros.
Nam quis sylvestrem meditatus arundine musam,
Ipse quod Amphion, si quando armenta trahebat,
Aut pater ipse olim Phoebus cantare peritus
Praemia virtutis meruit potiora referre?
Dulce melos teneris modulari suetus ab annis
Archadicum Corydon superavit Pana canendo.
Herbarum immemores, illo cantante, capellae
Et pavidi adstabant intentis auribus agni,
Ipsaque sylvestres rapiebant carmina Faunos.
Cernere erat rigidas motare cacumina quercus,
Et silices flecti duras, cautesque rigentes.
At nunc, o Corydon, crudeli funere raptum
Te rigui fontes, te mollia prata, nemusque
Et liquidi flevere lacus: te gutture densis
Indocili moerens flevit Philomela sub umbris.
Et vos, aeterno lacrymarum undantia rivo,
Vincite Lucrinos, mea lumina, vincite fluctus,
In mare volventes lacrymas, non amplius undas.

Haec recubans Daphnis sola sub rupe canebat.
Hinc ter dilectos summo clamore vocavit
Dilectos manes: pulsas clamoribus auras
Ter resonare audit, resonat ter tristior Echo.
Tum graviter ducens suspiria pectoris imo
Aeternum, aeternumque iterat, mihi maximus olim.

Nunc desiderium salve. Tibi vota quotannis
Fundere grata juvat, cantusque ad sidera ferre.
Sis bonus, o felixque tuis : coeloque receptus
Tu pecus, et sylvam caelesti numine firmes.
Nos tamen interea nostri monumenta doloris
Carmina moesta damus : manibus tibi lilia plenis,
Pallentes violas, tristesque ad busta cupressos,
Teque oriente die, te decedente canemus.

CAJETANO CIARAMELLIO

DE LITTERIS LITTERATISQUE VIRIS BENEMERENTISSIMO

CAJETANUS BARBATI

S. D.

Carmina tu gaudes conferre, ut tristia regna,
Cajetane, tibi quo non dilectior alter
DONATUS vitet, clarusque per ora feratur
Laudibus usque recens, post fata extrema superstes?
Magnum opus aggrederis, dignum sapiente, bonoque.
Unum oro, si quid meritum sibi vindicat, atque
Quae neglecta quidem virtus affectat Olympum,
Cuique inviti maturos largimur honores,
Perge, nec immerito, laetus; non pauca laborum
Praemia laturus posthac; neu munia nota,
Quae te distringunt nimium quantum, o bone, mente
Te solida revocent. Hominum sic mentibus haeret
Virtutis studium; placant et carmina manes,
Nomen et heroum post fortia facta coronant.
Munera sint aliis: haec nostra piacula sunto;

Sic honor, et nomen divinis vatibus, et spes,
Rara avis in terris, non fraudata colenti
Gnaviter increscunt virtutem. Ne te morer, audi,
Quo rem deducam, quod tu sic collige mecum.
Illum tu merito dignum cumulabis honore,
Qui pietate gravis mira progressus in arte est
Arcta recludendi naturae arcana repostae.
Sive animum intendit studiis, et rebus honestis,
Praestitit is paribus, natu majoribus, atque
Nil plane fecit, quod quis reprehendere possit.
Quare hoc? Nonne putas pulchra, et praeclara minari,
Si per te meritis decus, et diae venit ampla
Virtuti merces? Siquidem vir factus ad unguem
Donatus fuit ille, atro quem dente maligna
Invidia haud unquam laesit, quae rebus opimis
Alterius macrescit: quique per ardua rerum
Sedulus optatam meruit contingere metam.
Ingenium non incultum, nec turpiter hirtum
Mature admovit studiis, musisque latinis.
Inde cliens Phoebi Grajos, queis ore rotundo
Fari musa dedit, noctu versare, diuque
Acriter haud unquam abstinuit, lauroque potitus.
In quibus imberbis quantum profecerit, extant
Prodita, quae semper monumenta insignia facti
Scriptorum perhibent, famaque nepotibus illum
Seris commendant, tacitique stupent super illis
Judicio clari multum, et virtute cluentes.
Doctrinae omnigenae penitus, penitusque reposta
Templa adiit; rectum novit dignoscere curvo.
Accedunt, quaeque omnia perfacile arripere haud est,
Atque alia, atque alia eximiarum insignia laudum.

Pol mirata sui Siren laetissima alumni
Erecti ingenii dotes, et mentis acumen,
Illis adlegit, queis unum opus enucleare
Quae veterum monumenta maris, terraeque, polique,
Vulcano superante, manent sublata ruinis;
Et defossa diu latuere, heu dedecus aevi!
Gaza peregrinis ditissima mercibus, ipsis
Ditior aurifluis, quas late fundit arenas
Flavens Pactolus, quasve aurifer ambit Hydaspes.
Ecquemnam fallit, quantum auspicibus, ducibusque
Hisce viris modo jam res graecanica crevit
In majus, postquam lento collisa duello
Barbaries abiit? Stant scripta volumina, per quae
Parthenope veniens nomen transmittit in aevum.
Nunc quoque Donati referunt sua praemia mores:
Qui morum candore refulgens a tenero ungui ad
Extremam usque senectam, imitatus lilia blanda,
Unde sibi cognomen, primis carus et imis,
Recula in exigna sibi vixit, et in alta recedens
Otia spem vacuam, et discrimina divitiarum
Posthabuit, rerum non immersabilis undis,
Laetus sorte sua, composta in pace quievit.
Multis occidit ille bonis deflendus, et uni
Vel mage deflendus tibi, Cajetane, Virorum
Doctorum cultor: nae tu non sordidus auctor
Edendi capitis tam cari in funere carmen,
Manibus inferias, nostri monumenta doloris.

IN OBITU

CAROLI DE ROSA

MARCHIONIS A VILLAROSA

ODE

At o quis ausu non superabiles
Bene ominato destruit objices,
Lateque disjectis tenebris
Egregius sua signa victor

Attollit? O qui magnus ab integro
Doctas per artes ordo renascitur
Saeclorum, et horrentes per umbras
Exoritur, rutilante Phoebo,

Lux alma coeli? Carole, tu procul
Insanientes turbinis impetus
Virtute suffultus propellis,
Promeritosque refers triumphos,

Virtute avita clarior. Insitas
Doctrina vires promovet; inclyta
Exempla majorum remissis
Excutiunt animis favillas.

Quid jactet aetas clara parentium
Non usitata nec tenui lyra
Amoena Sirenis canentes
Littora, personuitque clarum,

Pontane, nomen laeta Neapolis,
Tuumque sacrum postgenitis decus,
Sincere, commendans avitos
Per titulos, memoresque fastos?

Tu vel canoro blandior Orpheo
Obliviones carpere lividas
Sirenis insignes alumnos
Non patiens, animosque, et ora,

Moresque fingis. Jam cytharae sono
Perstringis aures, et catus invides
Nigrantibus Lethae tenebris,
Quos pietas decorans, et arma

Transcripsit astris: seu quibus indita
Phoebea virtus dulcisonis modis
Commisit et mentem, et colores,
Queis patria, et populus beatur.

Qualis sereno vere favonius
Demulcet aestus, gratior it dies,
Campique, jam nimbis remotis,
Aetheria recreantur aura;

Qualisve findens nubila disjicit
Aurora fulgens, Tu bonus evehis
In majus artes, et fugaces
In patrios revocas recessus.

Post hoc secundis usque laboribus
Urges jacentem laudis aculeo,
Et calcar adjungens inerti,
Praesidium, columenque praesens

Audis virorum mercurialium.
Labore multo pulvere sordidos
Proferre laetaris sub auras,
Quos studium vigilare libros

Curavit, et quos illacrymabiles
Omnes tenebris nox premeret suis
Squallore confectos, situque:
Quippe sacro caruere vate.

Et sic refieto ferro adamantinum
Affulget auro saeculum, et undique
Gazis, coronatumque gemmis
Purpureo reviresceit aevo.

Dilecte divis, sic tibi pax venit,
Lauroque cingit tempora delphica,
Afflatque somnos, quos nec arma,
Nec litui, et strepitus frementum

Rumpent equorum, dum quatit ungula
Ferrata campum; sic tibi gloria
Non parta bellorum tumultu
Ampla venit, superisque miscet;

Novumque coelo posteritas colet
Te sidus auctum; lilia fundere
Certabit, atque aram sepulcri
Palladiis decorare sertis.

IN OBITU

THOMAE DE SOMMA

ODE

Quot sceptra regum, quot diademata,
Quot clara avorum nomina, lurido
Squalore sordescunt, situque
Funerei monumenta busti!

Quidquid moveri cernimus, Atropos
Aequare certat, nil miserans, solo:
Prognata coelis una virtus
Supra apices, titulosque regum est.

Virtus iniquae sortis in alea
Prout arx marinis obvia fluctibus
Immota perstat, docta laetis
Aeque animos cohibere rebus:

Virtus profanos spernere gestiens
Plausus, silenti carpit iter via:
Turbamque vitans, pauciores
Quo coeunt properare gaudet:

Atque inde latos clarior emicans
Diffundit ignes; namque fideliter,
Quocumque vertant, laude dignos
Laus sequitur, velut umbra corpus.

Subire leges temporis invidas
Camoena solers non patitur tuum,
Defuncte iam terris, pudorem
Virgineum, studiumque recti;

Experta novit quid bona semina,
Favente coelo, mentibus indita;
Exempla quid possint; quid alma
Pectoribus bene culta virtus;

Non sic ad amnem candida populus
Educta crescit, laetaque culmina
Sublimis attollit, minacis
Despiciens aquilonis iras.

Te Roma vidit moribus integris
Apprime clarum, te sapientiae
Gazis repletum, te facundi
Viribus eloquii decorum.

Hinc tu sacrata cingeris infula;
Hinc purpurato concilio Patrum
Xystum receptum tu, iubente
Rite Pio, decoras galero.

Vix dum virentes sic tua nobilis
Praevertit annos gloria; sic bonis
Plaudentibus cunctis, seniles
Te iuvenem decorant honores.

Sed qualis eheu! flos violae jacet,
Lilive sectus pollice virginis!
Te flore vernantem juventae
Abripuit libitina terris.

O quisque coelo carmine concinat
Te sidus auctum: lilia fundere
Contendat, atque aram sepulcri
Virgineis decorare sertis.

QUAE PRAE CETERIS ARGUMENTA A POETIS PERTRACTANDA.

ECLOGA

DAMON, MOPSUS.

DAMON.

Quid te, Daphni, juvat lentos heic condere soles,
Si te Phoebus amat, si sunt tibi carmina curae?
Rumpe moras, si cura tenet; convenimus ambo;
Roscida per noctem dum Cynthia temperat aestum,
Deductum tenui meditamur arundine carmen.

MOPSUS.

Carmina sint aliis: tristes Amaryllidis iras,
Thirsidis aut ignes, Damon, aut jurgia Codri
Tu melius caneres: solus tibi certat Amyntas.
Carmina sint aliis: congesta mapalia culmis,
Aut humiles habitare casas, montesque querelis
Per noctem complere meis, mihi sola voluptas.

DAMON.

Quae tibi tanta fuit non ultra causa canendi?
Iucipe si quid habes: mentem si cura remordet,
Carmina sollicitas poterunt dissolvere curas.
Nam tibi Parnassi nunquam, non culmina Pindi
Ulla moram fecere: unus tibi certat Apollo.
Te gelidi fontes, te mollia prata, nemusque
Arcadiae, et colles, te nostrae, Daphni, myricae
Se postquam fractis calamis sensere relictos,
Te, veniente die, te, decedente, vocabant.

MOPSUS.

Quid facerem? Coepit quondam mihi culta camoena
Fastidire leves calamos, queis rite sub antro
Dumosa pendere videns de rupe capellas
Solabar tristes, latitant quae pectore, curas.

DAMON.

Cur te poenituit calami, divine poeta?
Omnes unde, rogant, fastidia Tyrsis, et illi
Haud impar Lycidas cantando, atque Arcades ambo,
Tecum una alternos soliti jam dicere versus.

MOPSUS.

Discere suadet amor latitat quae in pectore cura?
Incipiam. Prisca descivit origine musa,
Quam nos pastores meditari saepe solemus.
Edocuit Lycidas resonare Amaryllida sylvas,
Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Qu in et sollicitos Galli cantavit amores,

Et vis me miserum stipula disperdere carmen?
Ah Damon, Damon, quae te dementia coepit?
Non eadem docuit Dorilas, qui pangere versus
Instituit primus, calamos non passus inertes;
Cum bonus ille pecus pastum Jordanis ad amnem
Duxit, et invito processit Vesper Olympo.
Audiit et rapidus montano flumine Cedron,
Et virides Amani colles, et clivus Ephratae;
Audiit intonsus Carmelus, et arduus Hermon,
Et percussa procul resonabant saxa canenti.

DAMON.

Non equidem invideo, miror magis: avius error
Usque adeo pervasit agros. En ipse putabam,
Alter ab undecimo nec dum me coeperat annus,
Stultus ego, musis illum concedere nostris,
Quem lapides perhibent quondam flexisse canendo.

MOPSUS.

Rusticus es, Damon: et adhuc te fallit Amynthas,
Dilectus superis pastor, pecorumque magistris,
Quae recubans quondam sola sub rupe canebat.
Pauca tamen superant, memori quae mente notavi.
Si quem delectat sylvas superare canendo,
Materies sit prima Deus, sit et ultima rerum;
Ipse dedit sylvas colere, ipse haec otia fecit.
Sic canite, o pueri; referatis carmina Divis.
Jusserat incisos viburnis crescere versus,
Quos Zephyros, laurosque leves, quos discere colles,
Et matutinos secum celebrare volucres.
Cernere erat densas motare cacumina fagos,

Et silices flecti duras, cautesque rigentes,
Si quando carmen modulari coepit avena.
Densior hinc pecudum soboles: hinc copia lactis
Ditior, et frugum multo cum foenore tellus.
Criminis hinc expers pietas, et nescia fraudis
Simplicitas, et cana fides, candorque pudicus,
Aurea nunc illum stellantis regia coeli
Excipit alma sinu, nostris aversa querelis.

DAMON.

Haec tu si memoras, sylvarum gloria, Mopse,
Haud pigeat nobis sylvestrem promere musam!
Lenius ut zephyri flavae motantur aristae,
Cantibus et raucae rumpunt arbusta cicadae,
Tu prior incipies; Damon, te, Daphni, sequetur.

MOPSUS.

Hic memori tecum repetam mea gaudia cantu,
Quae puer e sacris coelestum fontibus hausi:
Fas etiam in sylvis sylvas superare canendo.
Carmina pastores sylvestria carmina grati
Solvemus: votiva alii de marmore templa
Constituant, et dona tholis ingentia figant.
Muscosi fontes, tacitique in vallibus amnes
Promere ne pigeat summo praeconia laudum,
Vos sine fine Deo crepitanti murmure lymphae.
Fas etiam in sylvis sylvas superare canendo.

DAMON.

Vos veris comites Zephyri, qui prata flabello
Florea mulcetis, dulcesque adflatis odores,

Promite coelestes, quaeso, vos flamine plausus.
Ite meae quondam steriles, procul ite, camoenae.

MOPSUS.

Tu quoque sylvarum moerens philomela sub umbris,
Indociles tu prome levi modulamine cantus.
Sive refert aurora diem, sive Hesperus umbras;
Fas etiam in sylvis sylvas superare canendo.

DAMON.

Et vos deciduae majores collibus umbrae,
Frondea ludentis quas inter culta Favoni
Aura quatit sylvis, coelestes pandite laudes.

MOPSUS.

Arborei foetus, umbrosa cacumina fagi,
Vos platani, et lauri, si qua est comperta voluptas,
Fundite coelestes tacito vos carmine laudes.

DAMON.

Vos simae aëria pascentes rupe capellae,
Errantesque boves, laeti cum matribus hoedi,
Lactentes celebrate Deum balatibus agni.

MOPSUS.

Vincite sidereas, mea carmina, vincite laudes.
Aspice ut Eoo radianti lumine Phoebus
Collustrat terras, teneras foecundat aristas;
Omnia sunt illius opus : nisi faverit, arvis
Languere aspicies segetes, et collibus herbas.

DAMON.

Aspicis ut torrens si cultis ingruit aestus,
Acris et vitio pecudes moriuntur, et herbae,

Dexter at ille suo si terras lumine spectat,
Se fundunt imbres, superant et flumina ripas.

MOPSUS.

Felices queis ille dedit modo sordida rura
Incolere, et tuguri congestum cespite culmen,
Largius et manant ovium pressa ubera, capris
Arbuta sufficere, et latices praebere fluentes.

DAMON.

Felices quibus ipsa procul civilibus armis
Fundit humo gazas votis mitissima tellus,
Longe aliter queis nulla domus; per devia rura
Mos est errantes plaustris vectare penates.

MOPSUS.

Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus ulmi,
Ut campis segetes, apricis collibus uva;
Tu decus omne tuis, cui sunt mea carmina curae.
Fas etiam in sylvis sylvas superare canendo.

DAMON.

Discite sidereas, mea carmina, discite laudes;
Dulce sonant volucres, sed vox tua dulcior illis,
Et tantum tibi nos, quantum vel oloribus anser,
Rauca vel argutis concedit rana cicadis.
Ite meae quondam steriles, procul ite, camoenae.

MOPSUS.

Surgamus: suadent labentia sidera somnos;
Et medium coeli spatium nox ambiit umbris.

—

QUID PRAESTET AEMULATIO

ODE

Cur in secures rastra superbiunt
Et sceptra falces cedere? rusticus
Quandoque pero gloriatur
Patriciam peperisse lunam?

Almaque gaudet victor adorea
Clarus secuudis usque laboribus;
Diuque victrices catervae
Consilio atque animis revictae

Sensere, virtus aemula quid potest:
Affixa rebus desidiam vetat
Natura; sed maior renidet
Perpete parta labore virtus.

Quales recluso carcere finibus
Equi frementes prosiliunt suis;
Jamque ocyor temnens sequaces
Prosequitur sonipes priores,

Instatque velox, nec prius abstinet,
Quaesita votis fervida ni rota
Praeivit, et meta relicta
Egregios retulit triumphos.

Sic clara quondam Graecia fortium
Altrix virorum segnitiem procul
Amandat, heroumque gressus
Passibus ingreditur citatis:

Horrenda late navibus, aut equis
Formidolosos contudit impetus,
Longeque stipatos per hostes
Explicuit sua signa victrix.

Cuius subactae vis sapientiae
Insanientes disjicit objices;
Hinc nomen Argivum superstes
Per titulos, memoresque fastos.

Virtute magnos invida sic minus
Odisset! aetas clara parentium
Haud imparem rebus gerendis
Progeniem patriae dedisset.

Hic campus, haec est area gloriae,
Per quam tremendum nomen, et Itala
Ubique vis crevit, ducesque
Scipiadas, Curiosque magnos

Adscripsit astris. Promovet insitas
Doctrina vires, claraque fortium
Exempla majorum juventae
Igniculos cieunt remissae.

Nec sola quondam bella Quiritibus
Pugnata Romam terribilem hostibus
Fecere, non devictus Afer
Hannibal, Antiochusque magnus.

Sua et quieto carpitur e foro
Palma, et reportantur sine sanguine
Certi per heroas togatos
Pacificae Themidis triumphi.

Haec una late semita nobili
Patet juventae: namque domestica
Exempla natos excitabunt,
Et patribus similes reponent.

ALTRIX VIRORUM SPES

ODE

Quae graves vitae relevas labores,
Pectus et curis alis inquietum,
Prima naturae comes, omniumque
Ultima rerum,

Diva, clarorum genitrix virorum,
Alma Spes, mundi moderata casus,
Dulce lenimen mihi cumque salve
Rite vocanti.

Cernis ut pubes male feriata
Torpet, et vires juvenilis acres
Ingenî torpent, animoque languet
Insita virtus;

Frigore ut molles moriuntur herbae
Inter adversos boreae furores
Cana cum campos glacies perurit
Excita ab Arcto.

Pande Cirrhaeos adyti recessus:
Pande secretas Heliconis oras:
Et propinato nova fontis haustu
Pocula profer.

Mentis ignavos remove timores
Excitans vires, animosque praebens;
Adde non lenes stimulos inerti,
Suffice robur.

Sentiat firmum malesuada pubes
Nobilis dextrae columen; vetusto
Quippe sic gaudent sine fraude figi
Jura metallo.

Sic decus priscum redeat camoenis,
Phoebus et vatum recreans jacentes
Excitet vires, referatque sacros
Pallas honores.

Inclytum nomen bene culta pubes
Comparet sibi, generosa patrum
Gloriam certet superare, avitos
Certet honores.

Diva, coelesti face quae nitescis,
Profer in lucem radios decoris,
Qualis assurgens orientis oras
Phoebus inaurat.

Qui foret castris animosus ardor
Militum Martis dubii inter ignes,
Nulla si vires cierent decorae
Praemia palmae?

Quique neglectum labor institutus
Vomere, et rastris subigentis arvum,
Ampla ni late cumularet ingens
Horrea messis?

Eja si nostro faveas labori,
Debita et merces studiis redibit,
Versibus solvet Tibi musa cunctos
Vota per annos.

MATRIS IMAGO FILIA

CARMEN NUPTIALE

O D E

O quae decentes vincula Gratiae
Novas per artes nectere gestiunt,
Pictasque contexunt odoris
Lilia mixta rosis coronas?

Hymnosque dulci gutture concinunt
Sacros hymeni, praemia, Conjuges,
Virtute vobis parta, amori
Promeritas fideique laudes?

Auditis? an me ludit amabilis
Insania? o quae dulcisonae canunt,
Ducente jam Phoebo coreas,
Dulce melos graviore plectro!

Tu clara avorum sanguine, clarior
Virtute virgo, et moribus integris,
Parentis inspectanda imago,
Quam decorant pietas, pudorque

Diusque candor: quam bene mutuis
Fidum coronat pectus amoribus;
Artesque dilectae Minervae
Promeritos referunt honores.

Experta novit rite quid indoles
Educta faustis sub penetralibus,
Praecepta quid possent parentis
Insita pectoribus pudicis:

Ut robur acris viribus ingeni
Bene ominatis usque laboribus,
Atque adderet calcar pudicis
Cordibus eliciens favillas.

Parentis almae, quae praeit, acrior
Exempla sectans ad sapientiae
Contendis arces, celsa olympi
Praepetibus subitura pennis.

Nunc quid moratur?... Porrige dexteram,
Matura Virgo, te propriam viro
Dicare sponde; te salutat
Vox hominum superumque sponsam.

Haec ore dulci grata canentibus,
Plaudente Phoebo, carmina, Gratiis,
Coetuque Musarum, repente
Intonuit per inane laevum.

PIO IX PONT. MAX.

SEMINARII NEAPOLIT. AEDES INVISENTI

ODE

Huc ades, Christi gregis alme custos,
Nate terrarum regimen tueri,
Cui nihil vivit simile aut secundum
Rite sub astris:

Huc ades nostri columen decusque:
O nova coeli face qui rubescis,
Qualis aurorae redeuntis Orbem
Fulgor inaurat.

Jamque, detersis lacrymis, severam
Explicat frontem Tibi laeta Siren,
Laetior plausus iterat Vesevi
Montis imago.

Cernis o tanti super impetrato
Patris adventu volitare gentem
Per sacras aedes, superisque laetam
Solvere vota:

Quippe Te certae columen salutis,
Instar et Judae memorat leonis,
Cuius ad rictum tremefacta Ditis
Atria pallent.

Saeviat plenis furiale virus
Evomens labris, subito relabi
In suum cernit caput, et retorta
Tela tremiscit.

Dia Te virtus regit, et Superni
Numinis robur fovet ac tuetur:
Tectus hoc coecos clypeo nocentum
Despicis ausus.

Jam sat exhaustum est, Pater, o laborum:
Ampla Te merces manet: o quot omnem
Subditae gentes Tibi serta nectunt
Festa per orbem!

Colliget laetas pietas, fidesque,
Hoste prostrato, duce Te, coronas;
Clarior coeli nova Vaticani
Stella micabit.

IN CRUCIS SIGNUM QUOD CONSTANTINO
IMPERATORI APPARUIT

CARMEN

Bella cano, invictumque virum, cui debita laudum
Christicolae merito grati praeconia solvunt,
Et palmas labari sub signa ex hoste relatas;
Clarior unde Crucis Christi, qua surgit ab undis
Phoebus ad Hesperium procurrens gloria littus.

O Rerum foecunda parens, eja annue coeptis,
Musa, precor, vatemque tuo nunc numine firma;
Tempora cui cingunt lauro intertexta virenti
Aethereis decerpta plagis redolentia serta;
Tu rege, namque potes, vatem; dicam horrida bella,
Egregiumque ducem fama super aethera notum,
Clarum postgenitis pietate insigne trophaeum.

Postquam res Solymae, templique evertere molem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Imperium Judae, et caeso jam diruta cive
Omnis in abruptos Urbs cessit inhospita colles;
Verticibus, montisque jugo, qua Golgotha ad auras

Arduus adsurgit patrio de more Quiritum,
Coeca superstitio delubrum extruxit Adoni
Et Veneri sacrum. Tellus effossa, profunda
Excepit cavea memorabile pignus amoris,
Funereum lignum. Tria jam labentibus annis
Saecula transierant: lethaea oblivio late
Obruit, et facti vestigia nulla manebant.
Interea magno turbantur pectora motu.
Hesperiam infando totam foedaverat ausu
Contemptor Divum Maxentius. Impius urbes,
Florentesque agros saeva ditione premebat.
Quacumque incedit, paribus vestigia ponit
Livor edax gradibus, sequitur malesuada libido,
Et furor, et caeci mater discordia belli.
Hunc Superum non ira movet, coelique ruina:
Tisiphone exagitat taedas sub corde tyranni
Vipeream inspirans animam, truculentior instat
Pestem adflans, imas incendit flamma medullas.
Interea excindi ferro sacraria Divum,
Immeritas flagrare urbes, tormenta parari
Exquisita jubet, flammas gladiosque minatur,
Non secus hyrcanos saltus impasta pererrat,
Caedis hians tygris, fluvios si forte petentem
Prospexit capream, praedae se accingit, et haeret
Visceribus super incumbens depascitur artus.
Christiadae ingeminant luctus, complentque querelis
Aethera, si quando instat ineluctabile tempus,
Suffusi lacrymis vultus, sic ore precantur:
Ergo nulla quies miseris, et nulla laboris

Finis erit, certaque datur consistere terra!
Saecula fluxerunt tria jam, cum dogmata Christi
Bisseni socii, divo dictante Magistro,
Edocuere pios, et adhuc volventibus annis
Aeger, inops quisquam solo decumbit in antro,
Per saltus, montesque feros, brumasque pererrans,
Fusus humi, et stipulas inter projectus agrestes;
Jam faciles morbo nervos facit acris egestas,
Debilis auxilio, vitae immemor, aspera cultu:
Quem finem facies tandem, Rex magne, laborum?
Bella premunt, fuso gaudet Bellona cruore
Barbara, et ipsae arae foedantur sanguine, sumptis
Undique bacchatur saevus Maxentius armis.
Da Pater, auxilium, et propius res adspice nostras.
Talibus orantes Superos in vota vocabant,
Christicolae effusis lacrymis: nec plura. Precantum
Annuit Omnipotens, miseris solatia rebus,
Auxiliumque ferens. Odium crudele tyranni,
Et metus acer erat cunctis sine lege furentis:
Oderat impense Magnus, qui froeno gubernat,
Cui stat Romuleis avertere finibus hostem.
Aera sonant, lituique: adversis obvia signis
Signa; pares Aquilas, et pila minantia pilis
Cernit Roma suis et latum collibus agmen:
Constantinus adest: pauci vix pluribus obstant,
Spemque metumque inter dubii: sed numine freta
Instat morte ferox, et vinci nescia bello
Gens pia Christiadum numero, nec viribus aequis.
Jam sol ad medium Coeli pervenerat axem,

Collatisque acies concurrunt undique signis :
Ductores praeeunt primi : Maxentius illac
Irruit innumeras ducens sub signa catervas ;
Hac Constantinus. Radiata e nube coruscans
Ecce Crucis *labarum*, quo non praesentius ullum
Inter pugnandum objicitur : tum clara repente
Vox media auditur Coeli e regione serena.
Ne belli terrere minis : ex hoste triumphos
Hoc referes signo : Maxentique agmine caeso,
Vincta triumphali referes tua tempora lauro.
Dixerat. Ille animum pietate insignis adorat
Sidereum signum, tendensque ad sidera palmas,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod saepe petivi,
Accipio agnoscoque Deum: me me duce, ferrum
Corripite, o socii: unanimi densate catervas,
Christicolumqne acies labari praecedat imago.
Vix ea fatus erat, violenti turbinis instar
Irruit, invadit medios, et Marte secundo
Corporibus stipat sinuatam Tybridis oram,
Disjicit, urget, agit, fugientes ense fatigat.
Non secus ac praeceps montano flumine torrens
Hibernis auctus nivibus, sylvasque, gregesque
Et rapido abruptos contorquens vortice cautes,
Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores;
Disjectis cuneis, profligatisque maniplis
Diffugiunt : celeres pedibus timor applicat alas.
Jam nullam expertus sumptis spem ponit in armis,
Viribus abjectis praeceps fugit ipse tyrannus.
Dum tranare parat fluitantem Tybridis alveum

Vectus equo, instratae convexo pondere moles
Procumbunt; dux ipse ruit, pronusque nefandum
Volvitur in caput, et rapidus vorat aequore vortex.
Grandior hinc factus Tybris correpta sub undis
Scuta virum, galeas, miserandaque corpora volvit
Vorticibus, campique ingentes caede redundant.
Tum victor jam caede ducis, partoque triumpho
Laetior, o Sanctum, ait, et venerabile Numen!
Testor in hoc signo quaesitas sanguine palmas,
Atque solo stratas hostili caede phalanges.
Salve, o crux, nostrae, spes, ara reperta salutis,
Per quam vita datur deprensis aequoris undis,
Unde fides, pietasque venit, populosque tuetur
Constans praesidium rerum: tu lampade noctem
Errorum scelerumque fugas, lucemque reducis.
Quid tibi vis faciam? Vis trudam pectus in enses,
Anne per illius committam membra favillis?
Pro te non dubito: veniam quocumque vocaris,
Vivere seu praestas, seu certae occumbere morti.
Haec inter niveum summa caput exerit unda
Accipiens Tybris nova fata, diemque salutat.
Fama volat late tantarum nuntia rerum:
Effusus procul Hercíniis e saltibus Ister
Vorticibus volvit solito majoribus undas,
Et Rhenus, Rhodanusque tumens, refluusque Garumna
Suspenso excipiunt famae praeconia fluctu.

IN

DEIPARAM

SINE ORIGINALI LABE CONCEPTAM

CARMEN

Conceptam sine labe cano Te, Diva supremi
Numinis alma Parens, cui divum arrisit origo,
Quantumvis mortale genus, mortalis imago:
Ast o longe aliter, quam nos, qui sanguine foedo,
Et genus invisum lacrymabile ducimus aevum.

Tu modo, cui laetis plaudit concentibus aër,
Cui properant superum certatim ad jussa cohortes,
Quaeque regis, terrasque tenes, et tartara telo
Prosternis, populique tuum jam numen adorant,
Cerne fatiscentem tanto sub pondere vatem,
Luctantemque tuis numeros aequare triumphis:
Parthenios, da, Diva, precor, penetrare recessus,
Dum tu laude recens totum celebrata per orbem
Jam fidei tandem summo dictante Magistro
Tergemino redimita refers tua tempora serto.

Exoptata diu precibus, votisque gementum
Sub juga tartarei populorum saeva tyranni
Concipitur dilecta Deo pulcherrima Virgo:
Jam tristes abiere dies. Quis Lucifer instat?
Quae nova pacate rupere silentia coeli
Gaudia? qui divum resonat per sidera cantus?
Compede et excusso, fractisque repente catenis,
Laetitia exultant gentes: nova carminis aetas
Exoritur, veteres quod jam cecinere prophetae.
Progenies Adae temerata e stirpe parentis
Gignitur immunis macula, colubrique veneno,
Quo miserum patrem lethalis merserat error.
Certum erat et natos ea fata manere nepotes,
Natorum natos, et qui nascentur ab illis,
Quis te, parce precor, nostri miserabilis auctor
Errores late in varios, caecasque tenebras
Praecipitem abripuit, quis te malus abstulit ardor?
Mendacis colubri tristi circumdatus astu
Occidis infelix!!! Sed jam de stipite Jesse
Exoritur flos, virga novam quae prodet in auras
Progeniem summi, aeternique parentis amorem.
Omnigenas inter matres, castosque hymenaeos
Una puellarum Judae quascumque pudicas
Fortia facta poli summae in regione locarunt,
Seligeris, mater: quae, virginitate retenta,
Virgo, parensque fores. Non te, non tartara nigra
Lethifero inficiunt tabo, diroque veneno,
Nec poterant, nec jura dabant, viresque sinebant.
Te meliora manent. Divi Sapientia patris,
Omnipotens, qui cuncta suo sub numine torquet,
Mortalem statuit coelestis degere vitam.

En Deus in terris. Quid non sperare licebit?
Ergone, Diva parens, legis sub mole jacebis,
Quae genus humanum fatis exercet iniquis?
Nec te tantus honos immuni pondere victam
Eripit, et Satanas de te quoque, Diva, triumphum
Ducit, et exuviis exultat dives opimis?
Quaeque poli regina sedes nunc, subdita quondam
Tartarei regis domita de gente fuisti?
Quid tibi, si phoebe crescentia cornua flectit,
Torquet et occiduas quadrigam phoebus in oras,
Quid juvat esse Dei summi, aeternique Parentem,
Et regere imperio terras, coelumque profundum,
Ni te tantus honor tam foeda labe notatam
Dedecus et delet? Manet alta mente repostum
Illatum vulnus, nulli medicabile funus.

Non tulit indignans summi dominator olympi
Maternum opprobrium, quod lex, naturaque inurit.
Hinc aquilone sedens, et justa percitus ira,
Lumine inardescens, magna comitante caterva
Aligerum fatur, nutu qui temperat orbem.

Naturae, et legum auctorem quae gestet in alvo,
Et divum in solio sedeat, coelumque gubernet,
Legibus his fuerit, duroque obnoxia fato?
Unius ob noxam, primaevi et crimina patris.
Ipse ego mortalis mortalia fata subibo,
Quae temerant matrem; natos si cuncta parentum
Vel potiora manent. Deus ergo, et labe notatus
Ipse ero? proh facinus! quis non exerceat iras?
Haud ego. . . . Sed praestat tantae indulgere parenti.

Stat cunctas superare vices, amor omnia suadet;
Hic pietatis honos, nunc jura hic sanguinis instant.
Aliger extemplo referat mea jussa tyranno
Tartareae sedis: posthac non audeat ille
Partheniam diro coluber foedare veneno.
Vix ea cum superum simul assensere phalanges,
Aliger interea volitans velocior Euro
Praepetibus pennis stygiis superadstitit oris;
Extemplo et Ditem sic est adfarier orsus.

Infelix praedo, laevo tibi numine Matrem
Aetherei regis diro corrumpere tabo
Niteris. Alta Dei fuit haec sententia: Virgo,
Quae mox concipitur Jesseo e stipite, labe
Intemerata manet. Satanas non jactet in illam
Imperium: Divamque colat. Nec plura locutus
Nuntius in coelum paribus se sustulit alis.

Qualis in adversis nemorosae vallibus Idae
Cerva lupum vacuas arentem sanguine fauces
Si quando adspexit, fugit haec, atque ilia ducit.
Haud aliter dictis Satanas tremefactus, et amens
Dente furit, pulsansque quatit praecordia terror.
Et nunc ille jacet centum devinctus abenis
Post tergum nodis: fremit horridus ore cruento.
Coelicolae interea certatim ceu agmine facto
Laetitia exultant, lituisque per astra canoris
Carmina laeta sonant, resonat concentibus aether,
Dant coelo ingentes sonitus animosa tubarum
Aera procul, coeunt cytharae, et vocalis arundo,
Nervorumque melos, et fila sonantia plectro.

Haec inter Mariam geminant per sidera cantus.
Parce metu, Virgo; quae causa indigna serenam
Turbavit mentem? Tibi posthac nulla nocebit
Vis inferna Deum, durique sacraria Ditis.
Intemerata parens coelestes exere vultus.
Tu vexilla move, stygias prosterne catervas,
Vinctaque tergemino refer huc tua tempora lauro.
Altera tu phoenix, quae occasu exuscitat ortum
Frugibus assiriis, et stramine fulta sabaeo;
Jamque renascentem genitali funere lucem
Arcessens animam voces trahit inter aniles,
Et vitam moritura novam, nova fata salutat.
Tu vero, cui immota hominum, primique manebant
Fata genitoris, sublata labe, triumphas
Intemerata manens, radicis protinus expers
Protuleris florem Jesseo e stipite virga,
Editus in terris quo non praestantior alter:
Salve, o Diva parens matrum pulcherrima, salve.
Tu premis infernum sublimi calce Draconem,
Et miser infracto moribundus vertice putrem
Mordet humum, sinuatque immensa volumine terga,
Sibila cui lambent linguis vibrantibus ora.
Tu sidus, tu aurora recens, tu maxima divum,
Mentibus angelicis certe tu purior ipsis.
Intemerata tuis patria conceptio labe
Debetur meritis, tanto dignissima nato,
Per quem vita redit lethali lege peremptis,
Et patet obstructum sublimis limen olympi,
Te Satanas, omnisque nigris exercitus alis
Tartarei regni norunt, et numen adorant
Usque tuum, gentesque colunt. Te munere tanto

Dignatam, pario sacrant de marmore templa,
Thura sabaea cremant, paterisque altaria libant.

Tu modo mortales tristi sub mole gementes
Respice: Parthenopem, Virgo, tutare; malorum
Hinc age colluviem, Siculi tutela, decusque
Tu Regni Patrona potens, spes certa salutis,
Damnaque, fortunamque lubens miserare precantum.

INSCRIPTIONES

**RECVRRENTE DIVI CAIETANI THIENENSIS
FESTO SAECVLARI**

EHO HVC O CIVES ÁDESTE ET HOSPITES
LINGVIS FAVETE PROFANO NEVE VOS PEDE
HOC HYPOGAEVM ADITE PRAESENTISSIMI
HVIVSCE CIVITATIS PATRONI AC PATRIS
SACRA HEIC QVIESCVNT CAIETANI LIPSANA
QVI COLLABENTE DISCIPLINA ECCLESIAE
APOSTOLORVM VITAE REVOCANS PRISTINAM
FORMAM MODVMQVE RESTITVIT IN INTEGRVM
FACINORVM CERTE MAXIMVM MORTALIVM
O QVI IN FIDE TVENDA ET INTEGERRIMA
SERVANDA ATQVE PROCVL HINC ARCENDIS HOSTIBVS
COMMVNE SVBISTI CAPITIS PERICVLVM TVO
NOSTRIS RECEPTE CAELO VOTIS ANNVE
VRBEM DEFENDE BELLA PESTEMQVE ET FAMEM
ET PATRIIS HYDRAM HAERESEOS ARCE FINIBVS
TVTARE DIVE PRECAMVR BORBONIVM DECVS

JOANNIS MARCHIONIS DE ANDREA
LAVDVM PRAECONIA

—

I.

JOANNES DE ANDREA
FRANCISCI XAVERII F.
NOBILI GENERE NATVS EST
NEAPOLI III. KAL. MAIAS AN. MDCCLXXVI
VIR OMNIVM VIRTVTVM CHORAGIO INSTRVCTVS
INNOCENTIA VERO AC MORVM SANCTITATE INCOMPARABILIS
QVI REGVM CONSILIO ADSIDENS
NON GRATIAE CAPTANDAE STVDIO
HONORVMVE CONTENTIONE LABORANS
SI QVANDO COLLATIS CAPITIBVS
SVAM ROGATVS ESSET SENTENTIAM
FVCATO IVSTITIAE COLORE
NVLLO VNQVAM TEMPORE AC LOCO
VTILITATI RATVS EST
POSTHABENDAM HONESTATEM

II.

SVPREMO EVECTVS HONORVM FASTIGIO
TRANSVERSVM VNGVEM
A RECTA PIETATIS REGVLA NON DEFLEXIT
INTEGERRIMVS IVSTITIAE CVSTOS
REI PVBLICAE IVRA SARTA TECTA
SERVANDA CVRAVIT
QVAE PROFECTO NVNQVAM VIR PIENTISSIMVS
LEGIBVS PRAETVLIT EVANGELII

III.

PRAEFECTVS AERARIO
REI PVBLICAE NON SIBI CONSVLVIT
QVAM MIRIFICA QVA CALLEBAT ARTE
AVDENDO AGENDOQVE
NIMIVM QVANTVM AMPLIFICASSET
NISI AERE ALIENO OBRVTAM LEVARE
TOT TAMQVE GRAVIBVS VVLNERIBVS MEDERI
INDOMITISQVE PRAVORVM HOMINVM CVPIDITATIBVS
LIBERO ATQVE ERECTO ANIMO OCCVRSARE
MENS SIBI AC RATIO SVASISSENT

IV.

VIR SINE FVCO AC SINE FALLACIA
IPSO ORIS HABITV INCESSV STATVQVE CORPORIS
INGENITAE ANIMO BONITATIS
PERACRISQVE INGENII PRAESTANTIAE
ALIENISSIMOS QVOSQVE VEL PRIMVM INTVENTES
IN SVI ADMIRATIONEM EXTEMPLO RAPIEBAT

V.

QVANTO IN AMOENIORES LITTERAS
VERNANTE ADHVC AETATIS FLORE
AD HVMANITATEM NATVS STVDIO RAPERETVR
QVANTAQVE BENEVOLENTIA
EARVM CVLTORES PROSEQVERETVR
OPERAQVE FOVERET SVA
SI MINVS CERTE LOCVPLETISSIMVS EXTAT TESTIS
BIBLIOTHECA EX INTEGRO AB IPSO EXCITATA
QVAM OMNIGENA LIBRORVM GAZA DITAVIT
NVLLO VNQVAM TEMPORE INTERITVRAM

VI.

INVICTA FORTITVDINE ANIMVM OBFIRMATVS
RARO ADMODVM EXEMPLO
MALVIT SE MAGISTRATV ABDICARE
INTER FORMIDOLOSOS BELLORVM RENASCENTIVM TVRBINES
AC FORTVNARVM ILLORVM TEMPORVM VICISSITVDINES
QVAM IVRATO LEGEM DE NVNTIO REMITTENDO SERVARE
LICET EI SECVS OMNINO SVADERENT
COMPLVRES EX SANCTISSIMO CONIVGIO LIBERI SVSCEPTI
AVITVMQVE PATRIMONIVM
INIVRIA TEMPORVM MAGNA EX PARTE IMMINVTVM

VII.

INGENIORVM AESTIMATOR SED INPRIMIS MODESTISSIMVS
IN DIFFICILLIMIS NEGOTIIS EXTRICANDIS
SAPIENTISSIMOS ADHIBVIT CIVITATIS
QVORVM CONSILIIS PRVDENTIAE SVAE IVDICIO
AD TRVTINAM REVOCATIS ADSENTIENS
NIHIL AMPLIVS CENSVIT
MARCI AVRELII ANTONINI IMPERATORIS
ALACRITER INGRESSVS VESTIGIIS

VIII.

RELIGIONIS SECTATOR ACERRIMVS
AERVSCATORVM FLAGITIO
NVNQVAM EXTITIT EXANIMIS
SIQVIDEM VOLENS AC LVBENS
AERVMNOSIS SOLATIVM
OFFENSISQVE FORTVNA PRAESTANDO AVXILIVM
ITERVM AC TERTIO SIBI AMICVLVM DETRAXIT
INGENIO ET ARTE TEGENS
CARITATIS OPERA PRAECLARISSIMA

IX.

TOT TANTARVMQVE RERVM
VEL MAXIMI MOMENTI ADMINISTRATIONEM NACTVS
CVNCTA QVVM POSSET DE SENTENTIA GERERE
NIHIL SIBI RELIQVVM FECIT
QVO NON ANIMI CVPIDITATE
VNA VERO AEQVITATE DVCE ATQVE AVSPICE
MVNIA OBEVNDA
AD EXITVM PERDVCERET EXOPTATVM

X.

GRAVISSIMVS RERVM INVESTIGATOR
INGENITAQVE SIBI NON ADSCITA
DISSERENDI FACVLTATE PRAESTANTISSIMVS
TANTAM SVI FACIEBAT EXPECTATIONEM
VT QVOTIES FINEM DICENDI CONSTITVERET
APVD ERVDITISSIMVM QVEMQVE VIRVM
INTENTO ORE DIVTIVS AVDIENDI
INGENS RELINQVEBAT DESIDERIVM

XI.

QVANTOPERE SESE IN LITTERIS ABDIDERIT
QVAMQVE VBERRIMOS FRVCTVS
DIVRNA NOCTVRNAQVE MANV VERSANDO
AVREAE LATINITATIS SCRIPTORES PERCEPERIT
QVAM VERO ETRVSCVM CALLERET SERMONEM
VEL EX ILLO PERSPICI POTEST
QVOD TEMPORIBVS SVBSECIVIS
CONCINNAS CORNELII TACITI HISTORIAS
EXQVISITIM ITALICE REDDIDERIT
OPVS AVRO CONTRA NON CARVM

XII.

BONO PVBLICO NATVS
PATRIAE COMMODA PRAE SVIS HABVIT
QVAVIS RE AC LOCO
QVA SANE OPERA IN EAM PERBELLE COLLATA
PRO RERVM CONDITIONE
FLORENTISSIMA EXTITIT
ATQVE EIVS FIRMATA SECVRITAS

XIII.

ANNIS JVXTA AC HONORIBVS
PRECLARISQVE TITVLIS ATQVE INSIGNIBVS
PRO MERITO CVMVLATVS
CAETEROQVI TANTA CREVIT HVMANITATE AC LIBERALITATE
VT INGENTI STVDIO VIRTVTE PRAESTANTIBVS
OPEM FERENDI PRAESENTISSIMAM
ADVERSA VERO FORTVNA CONFLICTATIS
SOLAMEN VLTRO CITROQVE PRAEBENDI
IN DIES MAGIS MAGISQVE EXARDESCERET

XIV.

CVM PRIMIS BEATISSIMORVM TEMPORVM
IVRE MERITOQVE COMPARANDVS
A REBVS NOVANDIS QVOVIS TEMPORE ABHORRVIT
SI PERPAVCA EXCIPIANTVR
QVAE AVT REI RATIO ILLI SVASIT
AVT MATVRVM CONSILIVM
IN REI PVBLICAE VERTERET VTILITATEM

XV.

RELIGIONIS NON ADVMBRATAE
SED VIVIDIORIBVS VIRTVTVM LINEAMENTIS EXPRESSAE
CVLTOR EXIMIVS
SANCTISSIMA CONIVGII IVRA
ADEO PENSI HABVIT DEFENDIT COLVIT
VT SEQVVTA FOECVNDITATE
COMPLVRES SVSCEPERIT LIBEROS
EX QVIBVS BISSENOS SIMVL
TAMQVAM IN IRRIGVO HORTO EDVCTAS VIVIRADICES
DOMI ALVIT AD PIETATEM ET DISCIPLINAM

XVI.

DOMESTICARVM AESTV CVRARVM
QVAQVEVERSVS CONFLICTATVS
QVVM IMMATVRA MORS LVCRETIAE RIVERAE
E MARSORVM COMITIBVS
CONIVGIS SANCTISSIMAE
ET QVATVOR LIBERORVM
QVORVM ALTER ET ALTER EXIMIA SPE
ET FORMIDANDAE CIVILIVM RERVM PERTVRBATIONES
MENTE EVM SOLIDA DETVRBASSENT
INTERRITVS ANIMO NVNQVAM CONCIDIT

XVII.

PRINCIPATVS COLVIT DIGNITATEM
QVATENVS IN VTILITATEM VERTERET CIVITATIS
ITA VERO POPVLI INTENDIT VTILITATI
VT PRINCIPATVS IVRA SANCTA FORENT

XVIII.

QVVM TOTAM VITAE RATIONEM
AD RELIGIONIS NORMAM COMPONERE INSTITVISSET
ARCTISSIMO NOVIT VINCVLO TEMPERIVS COPVLARE
COLVMBAE SIMPLICITATEM
SERPENTIS VERO PRVDENTIAM SINGVLAREM

XIX.

ILLVSTRIA EXHIBEBAT SPECIMINA
QVAM PARVI SIT DVCENDVS
MVNERVM PVBLICORVM SPLENDOR
QVOTIESCVMQVE IMPEDIMENTA OCCVRREBANT
QVOMINVS IN REBVS EXPEDIVNDIS
EX ANIMI SENTENTIA AGERETVR

XX.

IN PIETATIS OPERIBVS RITE EXERCENDIS
EXIGVVM TEMPVS IMPENDEBAT
OMNES ANIMI NERVOS IN ID INTENDENS
VT LABORIS SVI ASSIDVITATE ET SOLERTIA
COMPLVRA PIETATIS OPERA
SINGVLOS ALERENTVR IN DIES

XXI.

TANTAM SVAE VIRTVTIS OPINIONEM
APVD OMNES ORDINES EXCIVERAT
VT IPSI PARTIVM ALIENARVM PRINCIPES AC SIGNIFERI
HOMINEM QVI NVLLAS VNQVAM TENVIT PARTES
AVT CERTE SANCTIORES
RERVM SVARVM IVDICEM ARBITRVMQVE POSTVLASSENT

XXII.

NIHIL VNQVAM AB EIVS ORE EXCIDIT
QVOD LEVIVSCVLI MENDACII NOTA INVRI POSSET
TOTOQVE VITAE CVRRICVLO
TANTA SIBI PROMERVIT LAVDVM PRAECONIA
VT VIRI SPECTATISSIMI
PIETATE IN DEVM IN PROXIMOS CARITATE
IN REBVS GERENDIS DEXTERITATE ET ABSTINENTIA
NOMEN COMMENDATIONEM MEMORIAM
IN OMNE POSTERVM TEMPVS
NVLLA DELETVRA FVERIT OBLIVIO

In funere Nicolai ducis Riarii Sfortiae in SS. Apostolorum templi apparato.

(Pro templi foribus)

I.

NICOLAO DVCI RIARIO SFORTIAE

CORLETI MARCHIONI

PARENTALIA

MORE MAIORVM

QVISQVIS ES INGREDERE

ANIMAEQVE PIENTISSIMAE

PACEM ET SECVRITATEM AETERNAM

ADPRECARE

(In antica tumuli parte)

II.

NICOLAVS DVX RIARIVS SFORTIA
CORLETI MARCHIO
NEVTIQVAM FVMOSIS MAIORVM IMAGINIBVS
AT EGREGIIS ANIMI DOTIBVS
PIETATE IN DEVM IN EGENOS LARGITATE
CARITATE IN SVOS
IMPRIMIS COMMENDATISSIMVS
PATERFAMILIAS DILIGENS ATTENTVS
NIHIL LIBERORVM DISCIPLINAE
RATVS EST PRAEVERTENDVM
MVNERA PRAEFECTVRASQVE
SIBI REGALI MVNIFICENTIA DELATAS
SVO IPSAS MOLIMINE GRAVES
SINGVLARI ABSTINENTIA SEDVLITATE SOLLERTIA
ADMINISTRAVIT
INDOMITA VI MORBI PROSTRATVS
AEGERRIMAM VITAM CVM IMMORTALITATE
COMMVTAVIT
NATVS EST XVI KAL. FEB. CIϽIϽCCCVIII
DECESSIT III NON. IUL. CIϽIϽCCCLIII

(Dextrorsum)

III.

AB EVANGELII NORMA
AD QVAM INEVNTE AB ADOLESCENTIA
FAVSTIS SVB PATERNAE DOMVS PENETRALIBVS
ADPRIME INFORMATVS
NE TRANSVERSUM VNGVEM DEFLEXIT
MAXIMEQVE EMICVIT VIRTVS
QVVM MORBO INGRAVESCENTE
CVIVS EFFERATA INCLEMENTIA PER IPSOS VIII ANNOS
CONFLICTATVS MISERANDVM IN MODVM
LABORAVIT
CHRISTIANAE PATIENTIAE SPECIMINA
EXHIBVIT
EXEMPLAR VERE INCOMPARABILE

(Sinistrorsum)

IV.

AEGER DIV IAM IN LECTO DECVMBENS
VIRIBVS EXHAVSTIS
COGITATIONES CVRASQVE SVAS
IN DEO DEFIGERE NVMQVAM DESTITIT
ET REMOTIS ARBITRIS
ADSTANTE GERMANO EMINENTISSIMO
PERPETVO TANTORVM LABORVM COMITE
IMMORTALITATIS MEMOR
QVIN MEDICAE ARTIS ADIVMENTA
VT DE CHRISTI IESV IN CRVCEM ACTI
DEQVE MATRIS SANCTISSIMAE DOLORIBVS
EORVMQVE MISERICORDIA
QVI PAVCI ADERANT SERMONEM HABERENT
SAEPIVS PER DIES NOCTESQVE
DEPOSCEBAT

(In postica tumuli parte)

V.

VIRGO DEIPARA
DIVIQUE SANCTISSIMI
HVIVSCE TEMPLI PATRONI PRAESENTISSIMI
VOS DVM SACRA FIVNT
VOLENTES LVBENTES
PRO NICOLAI ANIMA EXORATE
VT IN PACE SEMPITERNA SIT LOCVS EIVS
NVLLA INTERIECTA MORA
ATQVE HABITATIO EIVS IN SION
ET DEVS OPT. MAX.
SVPERSTITIBVS GENTIS RIARIAE SFORTIAE
INCOLVMITATEM AC SOSPITATEM
QVAM DIVTISSIME
ELARGIATVR

In funere Nicolai ducis Riarii Sfortiae in templo maximo a canonicis Ecclesiae Metropolitanae apparato.

(Pro foribus Ecclesiae)

NICOLAO DVCI RIARIO SFORTIAE
CORLETI MARCHIONI
RELIGIONIS CVLTV FAMILIAE REGVNDAE STVDIO
MVNERIBVSQVE FVNGENDIS
SOLLERTIA INDVSTRIA PRVDENTIA
INCOMPARABILI
CVIVS NON FVCATAE PIETATIS
AVITA CVM NOBILITATE SVSCEPTAE
PRAECLARA EXTANT MONVMENTA
FORTITVDO PATIENTIA CVRAE COGITATIONES
IN CHRISTO IESV PERPETVO DEFIXAE
QVEIS ANIMO OBFIRMATO
DIVTINI GRAVISSIMIQVE VI MORBI
PER VIII ANNOS P. M. OBNITENTE
MORTALITATE INTERCEPTVS EST III NON. IVL. CIƆIƆCCCLIII
VIXIT ANNOS XLV MENSES VI DIES XIII
TANTI VIRI DESIDERIO PERCVLSI
CANONICI METROPOLITANAE ECCCLESIAE
FVNVS APPARARVNT
CIVIS ADVENA QVISQVIS ES INGREDERE
ET MANIBVS PIENTISSIMIS
REQVIETEM AETERNALEM ADPRECATOR

In funere Hieronymi Pirozzi Metrop. Eccles. Canonici.

HIERONYMVS PIROZZI IANVARII F. NEAPOLITANVS
ADMODVM ADOLESCENS
PRAECOCIS INGENII NON MEDIOCRIA EDIDIT SPECIMINA
CLERICALI MILITIAE TYROCINIVM INGRESSVS
ID PENE EGIT VT CVM PAVCISSVI AEVI FVERIT COMPARANDVS
VIX INITO SACERDOTIO ALIAM EX ALIA CVRIAM
REGENDAM SVSCEPIT
QVO MVNERE OBEVNDO ADEO SE PROBAVIT
VT IN ECCL. CATHEDRALIS COLLEGIVM COOPTARETVR
ET MVLTIPLICIA EI MVNERA DEFERRENTVR
PERSPECTA VIRI OMNIGENA ERVDITIONE
EVM FERD. II. F. P. A.
FRANCISCI I. EQVESTRI ORDINE EXORNAVIT
LIBRORVM CENSOREM
ET REGALIS BORBONICAE BIBLIOTHECAE
PRAEFECTVM RENVNCIAVIT
DILECTVS DEO ET HOMINIBVS
DECESSIT VI ID. APR. CIↃIↃCCCLV

IOANNI BAPTISTAE STAITI
DREPANITANO
QVI CVM GENERIS NOBILITATE
PERACRE INGENIVM MVNIFICVMQVE ANIMVM
ARCTISSIMO VINCVLO COPVLAVIT
VIR ANTIQVA MORVM PROBITATE
REM PRIVATAM SEDVLVS GESSIT
DELATA SIBI MVNIA SANCTISSIME OBIVIT
IN VTRAQUE FORTVNA
AEQVANIMITATE INCOMPARABILI
ORE COMIS HABITV CORPORIS VENVSTVS AMICOS PROPINQVOS
SINGVLARI COMPLEXVS EST BENEVOLENTIA
EVM IN OCVLIS VIVVM OMNES TVLERVNT
ET VITA FVNCTVM DESIDERIO SVNT PROSEQVVTI
THOMAS FRATER TANTA IACTVRA
ACERBISSIMO LVCTU EXTERNATVS
HOC MONVMENTVM CVM LACRYMIS POSVIT

LAVRAE CAIETANI SPINELLIAE
E DVCIBVS LAVRENZIANI
QVAVIS VITAE RATIONE
SPECTATISSIMAE VIRTVTIS FEMINAE
QVAE ADHVC VERNANTE AETATIS FLORE
VIRO PRAESTANTISSIMO N. N.
TARSIAE DVCE ORBATA
TANTA ANIMI FORTITVDINE
VIDVITATIS SOLITVDINEM
PASSA EST
VT VEL SANCTISSIMIS MATRONIS OPTIMATIBVS ANTEIERIT
NVMQVAM REBVS ELATA SECVNDIS
ADVERSIS MINIME PROSTRATA SE GESSIT
DIVTINO MOLESTOQVE MORBO CONFLICTATA
INTER EFFVSAS SVORVM OMNIVMQVE BONORVM LACRVMAS
MORTALITATE INTERCEPTA EST VI KAL. FEBR.
AN. R. S. CIↃIↃCCCXLVI
PARENTI AMANTISSIMAE
THERESIA ET DOMINICA P. C.